

30TH SYDNEY LATIN SUMMER SCHOOL

15-19 JANUARY 2024
UNIVERSITY OF SYDNEY

Level 2c

TUTORS:
Kim Harris
Sarah Corrigan

Contents

Reading schedule	3
Monday.....	4
<i>Pliny Epistulae</i> – part 1.....	4
I.9 . C. Plinius Minico Fundano Suo S.....	4
<i>Sallust Bellum Catilinae</i> – part 1.....	4
Chapter 25	4
<i>Pliny Epistulae</i> – part 2.....	5
VIII.8 C. Plinius Romano Suo S.	5
Tuesday	7
<i>Catullus</i> – part 1	7
V. ad Lesbiam.....	7
VII. ad Lesbiam	7
<i>Pliny Epistulae</i> – part 3.....	8
VIII.17 C. Plinius Macrino Suo S.....	8
<i>Horace Odes</i> – part 1	9
1.3, Lines 1-20.....	9
Wednesday	10
<i>Horace Odes</i> - part 2.....	10
1.3, Lines 21-40.....	10
<i>Pliny Epistulae</i> – Part 4.....	10
IX.6 C. Plinius Calvisio Suo S.	10
<i>Catullus</i> – part 2	11
VIII. ad se ipsum.....	11
Thursday.....	12
<i>Horace Odes</i> – part 3	12
2.3, Lines 5-16.....	12
<i>Sallust, Bellum Catilinae</i> – part 2	12
Chapter 5.1-8	12
<i>Cicero In Catilinam I</i>	13
Chapters 1-3	13
Friday.....	14
<i>Catullus</i> – part 4	14
LI: Ad Lesbiam	14

Reading schedule

Monday	session 1	Introduction to course Pliny <i>Epistulae</i> – Part 1	I.9
	session 2	Sallust <i>Bellum Catilinae</i> – Part 1	<i>Bell. Cat.</i> Chapter 25
	session 4	Pliny <i>Epistulae</i> – Part 2	VIII.8
Tuesday	session 1	Catullus 5 Catullus 7	Lines 1–13 Lines 1-12
	session 2	Pliny <i>Epistulae</i> – Part 3	VIII.17
	session 4	Horace <i>Odes</i> 1.3 – Part 1	Lines 1-20
Wednesday	session 1	Horace <i>Odes</i> 1.3 – Part 2	Lines 21-40
	session 2	Pliny <i>Epistulae</i> – Part 4	IX.6
	session 4	Catullus 8	Lines 1–19
Thursday	session 1	Horace <i>Odes</i> 2.3	Lines 5-16
	session 2	Sallust <i>Bellum Catilinae</i> – Part 2	<i>Bell. Cat.</i> Chapter 5.1-8
	session 4	Cicero <i>In Catilinam</i>	<i>In Cat. I</i> Chapters 1-3
Friday	session 1	Catullus 51	Lines 1–16
	session 2	overflow & revision	

Friday note: There are no prescribed texts for Session 2 on Friday. This session is reserved for spill-over texts, addressing any remaining grammar questions, and extra activities if time allows.

Monday

Pliny *Epistulae* – part 1

I.9 . C. Plinius Minico Fundano Suo S.

[1] mirum est quam singulis diebus in urbe ratio aut constet aut constare videatur, pluribus iunctisque non constet. [2] nam si quem interroges ‘hodie quid egisti?’, respondeat: ‘officio togae virilis interfui, sponsalia aut nuptias frequentavi, ille me ad signandum testamentum, ille in advocationem, ille in consilium rogavit.’ [3] haec quo die feceris, necessaria, eadem, si cotidie fecisse te reputes, inania videntur, multo magis cum secesseris. tunc enim subit recordatio: ‘quot dies quam frigidis rebus absumpsi!’ [4] quod evenit mihi, postquam in Laurentino meo aut lego aliquid aut scribo aut etiam corpori vaco, cuius futuris animus sustinetur. [5] nihil audio quod audisse, nihil dico quod dixisse paeniteat; nemo apud me quemquam sinistris sermonibus carpit, neminem ipse reprehendo, nisi tamen me cum parum commode scribo; nulla spe nullo timore sollicitor, nullis rumoribus inquietor: mecum tantum et cum libellis loquor. [6] o rectam sinceramque vitam! o dulce otium honestumque ac paene omni negotio pulchrius! o mare, o litus, verum secretumque μουσεῖον, quam multa invenitis, quam multa dictatis! [7] proinde tu quoque strepitum istum inanemque discursum et multum ineptos labores, ut primum fuerit occasio, relinque teque studiis vel otio trade. [8] satius est enim, ut Atilius noster eruditissime simul et facetissime dixit, otiosum esse quam nihil agere. vale.

Sallust *Bellum Catilinae* – part 1

Chapter 25

Sed in eis erat Sempronia, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat. Haec mulier genere atque forma, praeterea viro [atque] liberis satis fortunata fuit; litteris Graecis et Latinis docta, psallere [et] saltare elegantius, quam necesse est probae, multa alia, quae instrumenta luxuriae sunt. Sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia fuit; pecuniae

an famae minus parceret, haud facile discerneres; lubido sic adcensa, ut saepius peteret viros quam peteretur. Sed ea saepe antehac fidem prodiderat, creditum abiuraverat, caedis conscientia fuerat, luxuria atque inopia praecipitabierat. Verum ingenium eius haud absurdum; posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto vel molli vel procaci; prorsus multae facetiae multusque lepos inerat

Pliny *Epistulae* – part 2

VIII.8 C. Plinius Romano Suo S.

[1] vidistine aliquando Clitumnū fontem? si nondum (et puto nondum: alioqui narrasses mihi), vide; quem ego (paenitēt tarditatis) proxime vidi. [2] modicus collis assurgit, antiqua cupressu nemorosus et opacus. hunc subter exit fons et exprimitur pluribus venis sed imparibus, eluctatusque quem facit gurgitem lato gremio patescit, purus et vitreus, ut numerare iactas stipes et reluentes calculos possis. [3] inde non loci devexitate, sed ipsa sui copia et quasi pondere impellitur, fons adhuc et iam amplissimum flumen, atque etiam navium patiens; quas obvias quoque et contrario nisu in diversa tendentes transmittit et perfert, adeo validus ut illa qua properat ipse, quamquam per solum planum, remis non adiuvetur, idem aegerrime remis contisque superetur adversus.

[4] iucundum utrumque per iocum ludumque fluitantibus, ut flexerint cursum, laborem otio otium labore variare. ripae fraxino multa, multa populo vestiuntur, quas perspicuus amnis velut mersas viridi imagine adnumerat. rigor aquae certaverit nivibus, nec color cedit. [5] adiacet templum priscum et religiosum. stat Clitumnus ipse amictus ornatusque praetexta; praesens numen atque etiam fatidicum indicant sortes. sparsa sunt circa sacella complura, totidemque di. sua cuique veneratio suum nomen, quibusdam vero etiam fontes. nam praeter illum quasi parentem ceterorum sunt minores capite discreti; sed flumini miscentur, quod ponte transmittitur. [6] is terminus sacri profanique: in superiore parte navigare tantum, infra etiam

natare concessum. balineum Hispellates, quibus illum locum
Divus Augustus dono dedit, publice praebent, praebent et
hospitium. nec desunt villae quae secutae fluminis amoenitatem
margini insistunt. [7] in summa nihil erit, ex quo non capias
voluptatem. nam studebis quoque: leges multa multorum
omnibus columnis omnibus parietibus inscripta, quibus fons ille
deusque celebratur. plura laudabis, non nulla ridebis; quamquam
tu vero, quae tua humanitas, nulla ridebis. vale.

Tuesday

Catullus – part 1

V. ad Lesbiam

Vivamus mea Lesbia, atque amemus,
rumoresque senum severiorum omnes
unius aestimemus assis!
soles occidere et redire possunt:
nobis cum semel occidit brevis lux, 5
nox est perpetua una dormienda. da
mi basia mille, deinde centum,
dein mille altera, dein secunda centum, deinde
usque altera mille, deinde centum.
dein, cum milia multa fecerimus, 10
conturbabimus illa, ne sciamus, aut
ne quis malus invidere possit, cum
tantum sciat esse basiorum.

VII. ad Lesbiam

Quaeris, quot mihi basiationes
tuae, Lesbia, sint satis superque.
quam magnus numerus Libyssae harenae
lasarpiciferis iacet Cyrenis
oraclum Iovis inter aestuosi 5
et Batti veteris sacrum sepulcrum;
aut quam sidera multa, cum tacet nox,
furtivos hominum vident amores:
tam te basia multa basiare
vesano satis et super Catullo est, 10
quae nec pernumerare curiosi
possint nec mala fascinare lingua

Pliny *Epistulae* – part 3

VIII.17 C. Plinius Macrino Suo S.

[1] num istic quoque immite et turbidum caelum? hic assiduae tempestates et crebra diluvia. Tiberis alveum excessit et demissioribus ripis alte superfunditur; [2] quamquam fossa quam providentissimus imperator fecit exhaustus, premit valles, innatet campis, quaque planum solum, pro solo cernitur. inde quae solet flumina accipere et permixta devehere, velut obvius retro cogit, atque ita alienis aquis operit agros, quos ipse non tangit. [3] Anio, delicatissimus amnium ideoque adiacentibus villis velut invitatus retentusque, magna ex parte nemora quibus inumbratur fregit et rapuit; subruit montes, et decidentium mole pluribus locis clausus, dum amissum iter quaerit, impulit tecta ac se super ruinas eiecit atque extulit. [4] viderunt quos excelsioribus terris illa tempestas deprehendit, alibi divitum apparatus et gravem supellectilem, alibi instrumenta ruris, ibi boves aratra rectores, hic soluta et libera armenta, atque inter haec arborum truncos aut villarum trabes atque culmina varie lateque fluitantia. [5] ac ne illa quidem malo vacaverunt, ad quae non ascendit amnis. nam pro amne imber assiduus et deiecti nubibus turbines, proruta opera quibus pretiosa rura cinguntur, quassata atque etiam decussa monumenta. multi eius modi casibus debilitati obruti obtriti, et aucta luctibus damna. [6] ne quid simile istic, pro mensura periculi vereor, teque rogo, si nihil tale, quam maturissime sollicitudini meae consulas, sed et si tale, id quoque nunties. nam parvolum differt, patiaris adversa an exspectes; nisi quod tamen est dolendi modus, non est timendi. doleas enim quantum scias accidisse, timeas quantum possit accidere. vale.

Horace *Odes* – part 1

1.3, Lines 1-20

Sic te diva potens Cypri,
sic fratres Helenae, lucida sidera,
ventorumque regat pater
obstrictis aliis praeter Iapyga,
navis, quae tibi creditum 5
debet Vergilium, finibus Atticis
reddas incolumem precor,
et serves animae dimidium meae.
illi robur et aes triplex
circa pectus erat, qui fragilem truci 10
commisit pelago ratem
primus, nec timuit praecipitem Africum
decertantem Aquilonibus
nec tristis Hyadas nec rabiem Noti,
quo non arbiter Hadriae 15
maior, tollere seu ponere vult freta.
quem mortis timuit gradum,
qui siccis oculis monstra natantia,
qui vidit mare turbidum et
infamis scopulos Acroceraunia? 20

Wednesday

Horace *Odes* - part 2

1.3, Lines 21-40

neququam deus abscidit
prudens Oceano dissociabili
terras, si tamen impiae
non tangenda rates transiliunt vada.
audax omnia perpeti 25
gens humana ruit per vetitum nefas.
audax Iapeti genus
ignem fraude mala gentibus intulit.
post ignem aetheria domo
subductum macies et nova febrium 30
terris incubuit cohors,
semotique prius tarda necessitas
leti corripuit gradum.
expertus vacuum Daedalus aera
pennis non homini datis: 35
perrupit Acheronta Herculeus labor.
nil mortalibus ardui est:
caelum ipsum petimus stultitia neque
per nostrum patimur scelus
iracunda Iovem ponere fulmina. 40

Pliny *Epistulae* – Part 4

IX.6 C. Plinius Calvisio Suo S.

[1] omne hoc tempus inter pugillares ac libellos iucundissima quiete transmisi.
'quemadmodum' inquis 'in urbe potuisti?' Circenses erant, quo genere
spectaculi ne levissime quidem teneor. nihil novum nihil varium, nihil quod non
semel spectasse sufficiat. [2] quo magis miror tot milia virorum tam pueriliter
identidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre. si tamen
aut velocitate equorum aut hominum arte traherentur, esset ratio non nulla; nunc
favent panno, pannum amant, et si in ipso cursu medioque certamine hic color
illuc ille hoc transferatur, studium favorque transibit, et repente agitatores illos

equos illos, quos procul noscitant, quorum clamitant nomina relinquunt. [3]
tanta gratia tanta auctoritas in una vilissima tunica, mitto apud vulgus, quod
vilius tunica, sed apud quosdam graves homines; quos ego cum recordor, in re
inani frigida assidua, tam insatiabiliter desidere, capio aliquam voluptatem,
quod hac voluptate non capior. [4] ac per hos dies libentissime otium meum in
litteris colloco, quos alii otiosissimis occupationibus perdunt. vale.

Catullus – part 2

VIII. ad se ipsum

Miser Catulle, desinas ineptire,
et quod vides perisse perditum ducas.
fulsere quandam candidi tibi soles,
cum ventitabas quo puella ducebat
amata nobis quantum amabitur nulla. 5
ibi illa multa cum iocosa fiebant,
quae tu volebas nec puella nolebat,
fulsere vere candidi tibi soles.
nunc iam illa non vult: tu quoque
impotens noli,
nec quae fugit sectare, nec miser vive, 10
sed obstinata mente perfer, obdura.
vale puella, iam Catullus obdurat,
nec te requiret nec rogabit invitam.
at tu dolebis, cum rogaberis nulla.
scelestas, vae te, quae tibi manet vita? 15
quis nunc te adibit? cui videberis bella?
quem nunc amabis? cuius esse diceris?
quem basiabis? cui labella mordebis?
at tu, Catulle, destinatus obdura.

Thursday

Horace *Odes* – part 3

2.3, Lines 5-16

seu maestus omni tempore vixeris, 5
seu te in remoto gramine per dies
festos reclinatum bearis
interiore nota Falerni.
quo pinus ingens albaque populus
umbram hospitalem consociare amant 10
ramis? quid obliquo laborat
lympha fugax trepidare rivo?
huc vina et unguenta et nimium brevis
flores amoena ferre iube rosae,
dum res et aetas et sororum 15
fila trium patiuntur atra.

Sallust, *Bellum Catilinae* – part 2

Chapter 5.1-8

5 1 L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. 2 Huic ab adulescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere, ibique iuventutem suam exercuit. 3 Corpus patiens inediae, algoris, vigiliae supra quam quoiquam credibile est. 4 Animus audax, subdolus, varius, quoius rei lubet simulator ac dissimulator, alieni adpetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus; 5 satis eloquentiae, sapientiae parum. Vastus animus inmoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. 6 Hunc post dominationem L. Sullae lubido maxuma invaserat rei publicae capiundae, neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat. 7 Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quae utraque eis artibus auxerat quas supra memoravi. 8 Incitabant praeterea corrupti civitatis mores, quos pessuma ac divorsa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant.

Cicero *In Catilinam I*

Chapters 1-3

1 Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quam diu etiam furor iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? Nihilne te nocturnum praesidium Palati, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora voltusque moverunt? Patere tua consilia non sentis, constrictam iam horum omnium scientia teneri coniurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consili ceperis quem nostrum ignorare

2 arbitraris? O tempora, o mores! Senatus haec intellegit, consul videt; hic tamen vivit. Vivit? immo vero etiam in senatum venit, fit publici consili particeps, notat et designat oculis ad caedem unum quemque nostrum. Nos autem fortes viri satis facere rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitamus. Ad mortem te, Catilina, duci iussu consulis iam pridem oportebat, in te conferri pestem quam tu in

3 nos omnis iam diu machinaris. An vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum mediocriter labefactantem statum rei publicae privatus interfecit: Catilinam orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem nos consules perferemus? Nam illa nimis antiqua praetereo, quod C. Servilius Ahala Sp. Maelium novis rebus studentem manu sua occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac re publica virtus ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum quam acerbissimum hostem coercent. Habemus senatus consultum in te, Catilina, vehemens et grave, non deest rei publicae consilium neque auctoritas huius ordinis: nos, nos, dico aperte, consules desumus.

Friday

Catullus – part 4

LI: Ad Lesbiam

Ille mi par esse deo videtur,
ille, si fas est, superare divos,
qui sedens adversus identidem te
spectat et audit
dulce ridentem, misero quod omnis 5
eripit sensus mihi; nam simul te,
Lesbia, aspexi, nihil est super mi
[vocis in ore]
lingua sed torpet, tenuis sub artus
flamma demanat, sonitu suopte 10
tintinant aures, gemina teguntur
lumina nocte.
otium, Catulle, tibi molestumst:
otio exultas nimiumque gestis.
otium et reges prius et beatas 15
perdidit urbes.